



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De custodia oris, & exercitio laboris. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

ne diutius differendo passio crescat, & deterior fiat. Non est vitium tam graue, quin curari possit, si vulnus aperiatur, & spiritua-
lis medici consilium requiratur. Sed aliud est scire remedium, aliud adhibere remedium. Multi sciunt, quid agendum sit, quidve cauendum, sed non adhibent diligentiam ad cordis orisque custodiam, ideo ex leui occasione trahuntur ad consueta vitia. In hac vita (quæ tota tentatio dicitur) oportet quotidie certare, & firmiter proponere, & gratiam diuinam implorare, donec status huius lubricæ vitæ & intestini certaminis fuerit finitus. Non inuenitur hic aliquod remedium, quo plene omnes viriorum morbi sanentur, ita quod nullus motus concupiscentiæ sentiatur; quia hoc futuræ beatitudinis est donum, sanctis promissum. Sed tamen gratia Dei iuuante, possunt mali motus refrenari, & occasiones peccandi vitari, atque maculæ contractæ per singulos dies pœnitendo lauari.

Aliud scire remedium aliud vt remediõ.

Concupiscentiæ motus omnino vitari non possunt, cohiberi possunt.

5. Magnus labor est cor custodire ab irruentibus vitijs, & non affici ad aliqua sensibilia foris. Aut enim creator te mouet, aut creatura; & secundum statum mentis, mouentur leuiter corporis membra; & nihil fit in verbo vel opere, quod ex radice cordis non procedit. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum;* & malus profert malum, ait Dominus. Debes ergo maxime vigilare circa custodiam cordis, & considerare quales cogitationes & affectiones intus geris; vt malas citò respuas, & bonas assumes, ac de utilitate animæ tuæ semper sollicitè pensare, iuxta illud prophætæ verbum: *Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum obliuis.* Si hoc fecit Dauid sanctus & rex terrenus, curam totius regni possidens: quanto magis religiosus Deo professus, omnibus curis terrenis neglectis, debet habere animæ suæ salutem præ oculis?

Matth. 12.

Psal. 118.

6. Ad puritatem cordis valde iuuant solitudo & silentium, studere, legere, orare, meditari, & nil velle scire de statu mundi: quia sæpe plus nocent mala audita, quam bona profunt in libris lecta. Vix enim reperitur actio tam bona, cui aliquid mali non admisceatur. Et in omni verbo vel facto aduersarius tendit laqueos, vt ab interna vacatione mentem retrahat. Nouit quippe cor humanum, quia si non delectatur in bono, citò labitur in malum.

Secessus multum facit ad puritatem cordis.

CAPVT VI.

De custodia oris, & exercitio laboris.

1. **M**agnam ori tuo custodiam adhibe, quia de omni verbo otioso oportet te reddere rationem. *Qui non refrenat linguam suam,* ait beatus Iacobus Apostolus, *huius vana est religio.* Nā ex incustodia linguæ, multa mala solent prouenire, à quibus

Matth. 12.

Iacob. 1.

Qd i homo

homo taciturnus liber est, nec indiget culpam confiteri. Velis ergo libenter tacere, & ab ociosis verbis tibi cauere; quia longa fabulatio deuotionem extinguit, dissolutionem generat, tempus male expendit, conscientiam lædit, & alios offendit.

2. Silentium est antiquum statutum religiosorum, à sanctis patribus introductum, & cum multa diligentia custoditum. Qui hoc leuiter frangit, Deum & omnes sanctos grauiter offendit. *Matth. 5.* Christus dixit: *Sit sermo vester, est est, non non. Quod amplius est, malo est.* Breuiter ergo & plane loqui docuit, quando licet: sed quando non licet, tacendum est. Si vis bene seruare silentium, fuge publicum; & vade in secretum locum, vt ores; vel ad cellam, vt legas vel scribas. Melius esset, quòd legeres vnum psalmum vel orationem dominicam pro peccatis tuis vel amicis, quam si stans fabulando de materijs vanis. Non est vera recreatio dicenda, & ciari & fabulari; sed magis execratio nominanda, quando operi Dei negligitur, & nugæ recitantur.

Neque ocium neq; fabulatio recreatio est, sed execratio.

Matth. 20.

Luc. 12.

Luc. 19.

Operi vacandum.

Ioh. 9.

3. Vade ergo ad opus tuum, & labora in vinea Dei, pro denaria æternæ vitæ, ne tibi impropere paterfamilias: *Quid hic statua die otiosus?* Laudat scriptura bene operantem, remunerat Christus seruum fidelem, arguit pigrum & negligentem, iubet ab eo tolli gratiam concessam, & dari eam feruentius operanti. Veniet namque tempus, quando non poteris amplius operari, nec vnum quidem verbum loqui præ infirmitate. Hoc debes modò præcogitare, & semper de extrema hora pauere, ne vacuum te inueniat. Vnde Dominus Iesus discipulis suis dixit: *Me oportet operari operarius, qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari. Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi.*

4. Accipe ergo exemplum bona operandi à Christo Iesu, à sancto Paulo, à sancto Antonio, à sancto Augustino, à sancto Hieronymo, à sancto Benedicto, à sancto Francisco, à sancto Dominico, & ab omnibus sanctis Patribus, qui regulas monachorum scripserunt & religionem instituerunt. Renera multum isti ordine laborauerunt, & pro vita æterna duriter corpora sua castigauerunt, in ieiunijs multis, in solitudine & silentio, in vigilijs orationibus alijsque sacris Deo placitis obseruantijs & laboribus Domino seruientes. Quid igitur? aestimas, quòd tu fabulando & hinc inde spatiando, obtinebis gloriosissimam coronam, quam sancti Dei adepti sunt sanguinem suum fundendo, nec non grauissima tormenta tolerando? Nequaquam. *Sed nisi poenitentiam egeritis* (ait Dominus Iesus poenitentiam prædicans) *omnes similes peribitis.* Dura sententia; sed utilis pro emendatione tua, & disciplina seruanda. Emenda ergo vitam, & non timebis poenam, sed gloriam habebis æternam.

Luc. 13.